

per horae spatum reddi, et, conspirante etiam aliorum medicorum experientia, neruos excitari torpidos, BOSWEL (apud CRANTZ mater. medic. et chirurg. Viennae austr. 8. I. 1762. p. 146.), turbulentos atque agitatatos pacari, alii obseruarunt; putredini aduersari, PRINGLE (philos. Transact. l. c.); ita vel pulueris forma granorum trium quatuorue pondere faccharo permistum, vel essentia cum vini spiritu (FR. HOFFMANN observ. physico-chemic. selectior. I. p. 60.) ex ea parata, ad guttas decem vel viginti propinata in paralysi, insultibus apoplexiae atque epilepsiae (FR. HOFFMANN medic. ration. system. IV. 3. p. 21.), palpitatione cordis (FR. HOFFMANN l. m. c. p. 294.), in singultu, vomituque nimis violento (ZACVTVS LVSITANVS opera. Lugdb. 1649. fol.), tussi, in primis rheumatica (FR. HOFFMANN l. m. c. p. 386. CRATO DE KRAFTHEIM consilior. et epistolar. medicinal. Francof. 1591. 8. l. 37. p. 1039.), qui tamen posterior decocto passularum addi praecepit, atque eandem (*Ordnung oder Präsevation, wie man sich zur Zeit der Pest verwahren, wie die rechte Pest erkennt und curiert werden soll.* Breslau. 1555. 4.) pesti immimenti confidenter opponit, opem tulit.

2. *Succinum, Succinum flauum, Succinum electrum* (LINN. Syst. nat. III. p. 282.), *Electrum, Carabe,* licet prima eius ex succo vegetabili origo hodienum negari vix amplius possit, diuturna tamen in sinu telluris mora et continuo cum variis succis mineralibus contactu adeo immutatum est, vt haud parum ab indole resinae abludat; difficultime enim soluitur vini spiritu,

difficilius liquatur igne atque in flammarum exar-  
descit, quam resina, cum qua ceterum facili cum  
oleis praesertim vnguinofisis connubio, tenacita-  
tis gradu, indole aquae vim dissoluentem elu-  
dente, oleosi acidique principii igne extricandi  
abundantia concordat.

Est autem ut plurimum flavi (*Carabe citrinum*)  
coloris, nunc magis in fuscum, nunc magis in  
rubrum, nunc magis in album (*Succinum album*)  
vergentis (neque certe interest, cuius coloris succi-  
num pro vsu medico eligas), rarius pellucidum,  
quam diaphanum, semipellucidum, subopacum vel  
opacum, interdum nubeculosum, sola iam frictione  
et maximopere electricum redditur, et gratissimum  
odorem spirat, prunis inspersum fumum eiusdem  
odoris, verum longe fortioris eructat, et vasis clau-  
sis igne tortum praeter magnam olei colore et te-  
nacitate diuersi spiritum vini renuentis graueolentis  
copiam (*Oleum succini*), salem exhibit siccum albi-  
dum crystallorum forma indutum (*Sal succini*), aci-  
dum sui generis. Quamuis in multis Asiae et nostrae  
potissimum Europae oris occurrat, copiosius tamen  
reperitur in Sicilia atque ad maris Baltici, copiosissi-  
mum a multis retro seculis ad Borussiae littora.

*Succinum ipsum*, quamuis olim feminis hyste-  
ricis et obstructione fluxus menstrui laborantibus  
summopere commendatum, quum neque vlo cor-  
poris nostri humore soluatur, neque in ullam excre-  
tionem manifeste agat, vix aliquid perpetrat; neque  
multum equidem exspecto ab eius tinctura, siue co-  
quatur cum lixiuio caustico (FR. HOFFMANN observ.  
physico-

physico-chemic. l. 2. p. 202. 203.), siue digeratur cum spiritu vitrioli dulci (*Essentia succini* G. pharmaco-p. Wirtemberg. Stuttg. 1754. II. p. 83.), siue aut cum meraco vini spiritu purissimo (*Essentia succini ordinaria*, Pharmac. Wirtemb. II. p. 84.), aut intercedente sale tartari et praegrediente digestioni distillatione (FR. HOFFMANN I.m. c. 1. p. 60.), paretur quanius inficias ire nolim, succini aliquid, et vires humoris dissoluentis illi inesse.

At ignis vi in varia corpora diuulsum, quae, dum implicata alia aliis erant, exercere vires suas non poterant, inter efficacia remedia locum mere-tur: Ita fumus, ex succino prunis insperso assurgens, princeps materia suffumigiorum, quibus et nares nostras titillamus, et grauem corruptae conclaveum atmosphaerae odorem (nequaquam malignam indolem) corrigimus: Idem fumus, pannis laneis exceptus, quibus partes aegrotantes leniter fricantur, discutiendo, in doloribus rheumaticis egregie prodest. Potentius adhuc agunt destillatione sicca ex succino impetrata sal atque oleum; illud repetita sublimatione ab adhaerentis olei parte potiori, hoc iterata distillatione a crassiori picea parte depuratum, utrumque irritans, interno vsu maximopere excal-faciens, sudorem atque vrinam pellens.

#### PRAEPARATA.

*Succinum praeparatum* est *Succinum terendo* in tenerimum pollen comminutum.

*Sal succini*, v. supra.

K 4

*Spiritus*

*Spiritus vel Liquor cornu cerui succinatus,*  
v. supra.

*Oleum succini* externo potissimum v̄su venit. tum hysteriarum ac parturientium animi deliquium patientium naribus admotum, quarum nerois potenter resuscitat, tum membris paralyticis, et discutiendi scopo tumoribus frigidis illitum: Sunt qui internum guttarum quinque ad quindecim v̄sum in tetano commendant; efficax in hoc morbo debelandio deprehendit RUSH (memoir. of the medic. societ. of London. Lond. 8. Vol. I. 1787.), siue homines infestet siue equos.

*Tinctura succini*, v. supra. Vires suas li- quori potius debere videtur, quo succinum solutum est.

3. *Asphaltum* (LINN. *Syst. nat. III. p. 279.*), *Bitumen iudaicum*, opacum, nigrum, excalefactum aut prunis iniectum ingratum odorem spargit, cum spiritu nitri fumante affuso efferuescit, spiritum vini paulisper tingit (THOREY *chemisches Journal. 6. p. 56.*), nec nisi pice aliisque resinis vegetabilibus adulteratum soluitur, Aegyptiis ad condienda cadauera visitatum, in montibus secundariis venularum, nidulorum, guttarum specie, ad Wolgae littora magnis interdum frustis obuum.

Pulueris forma ad grana quindecim exhibitum, siue solum, siue cum saccharo lactis permistum in sanandis pulmonum ulceribus multum praestitisse, expertum se esse testatur MELLIN (l. c. p. 155.) sed frequentius adhibetur

*PRAE-*